


V C  
2978

11





Vc  
2978

(2)

Parentatio  
ILLVSTRISSIMO  
AC PIENTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
Duci AVGVSTO, Electo,  
ri Saxoniae &c.

Quartum facta  
CONSTITVTIONE ATQ;  
MANDATO ILLVSTRISSIMI AC  
pientissimi Principis ac Domini, Ducis  
CHRISTIANI, Electoris,  
FILII, &c.

*Operam suam navante subiectissimam*

IOHANNE MAIORE D.

VVITEBERGAE,

*Ex Officina Cratoniana,*

ANNO M. D. XC.

CLXXXV



PARENTATIO.



HIC mos, & species

gratae pietatis in illo;

Indicio est, homines mente  
referre Deum.

Hic est iustitiaeque tenax, veri  
que magister;

Non habitu, at quiddam  
tale vigore suo.

Veri sors propria est, quod habes aliunde, fateri;  
Iustitia ad gratas obligat alma vices.

Gratia pro meritis, virtutem praestat utranque;

Tollit enim verbis facta, refertque vicem.

Iustitiae ratio est, meriti quod sensus auiti

Afficit hoc patriae vocis honore patrem.

Ac honor est testis quod sit Deus ordinis autor

Cui dedit in terris pondus habere suum.

Namque suae radios virtutis sparsit in ipsum,

Vt se praesentem dicere iura probet.

Ergo Deo debetur honos ex pectore primus:

Proximus his, qui sunt conditus ordo Dei.

HINC quia lux orta est AUGUSTI conscia mortis:

Gratia fert umbris annua iusta pijs.

A 2

LUX

Lux undena quidem mensiste lane sequentis;  
Quam semper celebrem, semper habebō sacram,  
Non hominē ut lacrymis, sed diurnū laudibus ornē;  
Nam morte amisit nil nisi mortis onus,  
Ut, loca si spectes ad quæ migraverit: & quæ  
Ad bona transierit: dixeris esse deum,  
Sed quia fatorum lex summos tangit, & imos,  
Ut quia sint nati, denique morte cadant:  
Visque sub exemplis illustribus amplior insit:  
Vnde quod ex usu est carpere quisque potest:  
Tunc abit in morem repetita hæc mortis imago;  
Publica laus amplis est tribuenda viris,  
Si quis post vitam benè vult audire peractam:  
Hunc benè per vitam promeruisse iuuet,  
Maxima post funus concessa licentia famæ est;  
Ingenua quæuis nomina voce notat.  
Omnibus in vita qui clarus honoribus esset:  
Omni post obitum debet honore coli,  
Vbere materia, nulli datur esse deserto;  
Pluribus, in mentem plura venire solent.  
Et quia supra homines meritis præstantibus iuit,  
Quorum fama replet Solis utranque domum:  
Non æquare potest A V G V S T V M copia fandi,  
Quem cælo æquavit gloria freta Deo,

Nec

Nec laudum seriem comprehendit circulus horæ;  
Quare de multis pauca, sed apta legam.  
Non genus ut referam; non quot stirps inclyta flores  
Extulit insignes Marte, vel arte togæ,  
Corporis aut gestus agiles, raramque figuram:  
Quosque in præcipuo fecit honore gradus:  
Aut ut caeca domi Titanum oppresserit arma,  
Ausos imperio conciliare vicem:  
Utque suis altum genus altius extulit ausis;  
Communes alijs res, negat esse suas.  
Contemnit sapiens bona, quæ fortuna gubernat;  
Verum hominis decus, est in pietate situm.  
Sed qualem vitæ sese ordine gessit in isto,  
In quem post fratris fata locatus erat:  
Pars septem procerum quibus est data summa facul-  
tas  
Imperij summum voce creare caput.  
Ut reprobis hostis, sed amicus amantibus æqui,  
Inque Dei officijs esset utrisque Deus.  
Qui stimulis actus naturæ, & voce parentum;  
Quæ magnum in tenero pectore pondus habet,  
Lenibus à primo studuit virtutibus æuo,  
Quæ res attingunt quas toga mitis amat.  
Ut sunt: quæ gestus ac vota modestia frenat:  
Temperies luxus: iustitiæque labor.

AC

Ac ut ubique patent in rebus signa creatis,  
Indicium autoris quæ sapientis habent:  
Sic quoque notities virtutum pignore firmat  
Esse alium à turpi colluione Deum.  
Hæc ut notities humana in gente vigeret:  
Imperia instituit iure potente Deus:  
Ut censura nefas premar, & diuina voluntas  
Officio legum det quasi signa sui,  
Si non proposita teneantur morte latrones:  
Cruda suas nulli turba relinquat opes.  
Tum, Deus ipse cauet ne disciplina vacillet,  
Vique potestatis turpe coërcet opus.  
Sæpè modis alijs sequitur sua pœna nocentem;  
Fit censor facti, tortor & ipse sui.  
ERGO Dei indicium præ se fert iura ministrans;  
Consilioque Dei ciuicus ordo viget.  
In legum obsequio, virtutum discimus usum:  
Concipit & secum mens simulacra Dei,  
Vult Deus æquales nos esse; rigore carere;  
Et sine respectu ius dare cuique suum.  
Isque habet in nullo summos discrimine, & imos;  
Qui fugit ad Natum, nemo repullus erit.  
Vult etiam ut sensus rationis frena capestat,  
Ne, quocunq̃ue trahunt vota, feratur homo.

Hinc



Hinc opus est lucta, mores ut frena sequantur;  
Quid, solum lucta? non, sed honore precum.  
Non iuuat ignauos Deus, & pietate carentes,  
Sed qui se polcunt, & sua facta regi.  
Es tigitur custos humana in gente potestas,  
Virtutis species ne cadat ulla loco.  
Qualis vita foret sine legibus? Ergo fruendæ  
Iustitiæ causa regna, forumque vigent.  
Rectorum in manibus versari, usuque frequenti  
Præcepit tabulas Legis utrasque Deus.  
Hinc capitis pœnam imposuit sacra ficta colenti,  
Quam, nisi vi legum, sumere nemo potest.  
Nam vox, quæ ferro vetat uti, spectat ad omnes  
Qui non imperij publica iura tenent.  
Hos fore promisit quorum de sorte benigna  
Sustentet casus turba sacrata suos.  
Obtinet Ahasides hanc laudem; & filius Assæ;  
Et rex, qui resonum pectine strinxit ebur.  
Arbiter imperij, Constantis nomine clarus:  
Et qui Teutonicas Carolus auxit opes:  
In bene de sacro cætu, studiisque merendo,  
Ac in iustitiæ laude tulere decus.  
Hisque in rem sacram meritis, artisque peritos  
Præ veteri Augusto nomina noster habet.

Vocce

Voce piã inflexit sensus Spirator : & intus  
Corde fidem eduxit, debita facta foris.  
Hic planè Herculeo firmavit fœdus ab ausu  
Religio ut possit libera pace frui,  
Sic vim prætoris Latio detraxit Asylæ,  
Consortes Christi qua dedit ante neci:  
Quiq; omnem mouit lapidè, ut sua sub iuga mittat,  
Qui non more Dei mystica farra colunt,  
Quàm vellent vitium hoc imitari sacra ferentes;  
Rubra sub albenti spirat hirudo stola,  
Sed ne compositam vox turbet acerba quietem,  
Inuoluatque animos lite, cruore domos:  
Et ne carpendi studium cœlo inferat ora,  
Vimque umbris faciat, sicut Hyæna, pijs:  
Filius edictum patris reuocauit in usum  
Litibus imponens, criminibusq; modum,  
O pius in sacros cœtus amor, inque quietem;  
O verè Christi nomen habentis opus,  
Otia sub regnis sine fati lege laceffens  
Regna sua amittit, suppliciumque meret,  
Dicta probat Saules, in regno turbinis autor,  
Et restranquillas Martis amore mouens,  
Nostra sine inuidia non possum exempla referre,  
Ne vel ad ærumnas addere probra puter,

Quò

Quò minus in sacra toleranda licentia sorte est,  
Quæ serit ad motus semina dira nouos,  
Nos decet in tali congressu voluere caussas,  
Cur Deus illustrem finxit in Orbe statum.  
In quo magna Dei ratio & præsentia lucet,  
Hac sociæ vitæ sorte tuentis opus.  
Nec quia confusè geritur res sæpè: putandum est  
Quòd nulla imperij pars sit imago Dei.  
Vnius & membri labes, non corpora tollit:  
Nec gentes una gente cadente cadunt.  
Fœderis euersor socij, & Deus ordinis autor  
Non sunt in simili sorte, graduque siti.  
Iulius imperij caput, & successor habenæ,  
Munus habent, sed non facta Neronis habent.  
Rem sociam vitæ turbantia membra reuellit,  
Atque aliquod corpus seruat in Orbe Deus.  
Ordinis & quicquid reliquum est legumq; tuetur:  
Ut possint artes, officiumque coli,  
Maxima pars mundi nunc bellis ardet acerbis,  
Penè sit ut legum nullaque cura Dei,  
Hæc Deus ut clades velit his auertere terris:  
Votis, & morum debet honore coli,  
Iustitiæ præbent specimen, signumque pudoris,  
Iussa magistratus qui reuerenter habent.

B

In

In studio legum, virtutum semina fulgent:  
 Nam lex est ratio numine tracta Dei,  
 Ut dum iustitiæ quadam de parte loquatur:  
 Esse Deum iustum, iustaque velle, probet.  
 Deque, Deo hæc ratio naturæ inscripta, remansit,  
 Et quiddam autoris semper imago sapit.  
 Lege stat, & floret mundus, naturaque rerum,  
 Oppida, cultores, & sua cuique domus,  
 Contemptu legum, pia disciplina fatiscit,  
 Pœnaque fatalis sæua flagella mouet.  
 Et virtus moderata sequi, pacemque fouere,  
 Nec cum communi quærere clade suum,  
 Norma gubernaculi, morumque, à voce trahenda est,  
 Quam tabula expressit legis utraque Deus.  
 FLEXIT ad hanc normam sua sensa AVGVTVS, &  
 acta;  
 Ergo sine offensa cursus atroce fuit.  
 Plusque suo exemplo, quam pœna vindice, mouit:  
 Ac operam paci, iustitiæque dedit.  
 Utque animum recti species induxerit olim:  
 Sed tamen euentum fata, Deusque regunt.  
 Umbraque virtutem, corpusque imitatur imago,  
 Fucus naturam, iustitiamque rigor.  
 Nec sapere ad casus semper datur omnibus omnes,  
 Nam variant homines, temporaque ipsa vicem,  
 Sæpe

Sæpè in consilijs erratur; quæque fuerunt  
Concepta egregiè vota, tenore carent.  
Pluribus est rectè faciendi innata voluntas,  
Plærasque & iusta res ratione gerunt.  
Sed studia euentus fallit; quod & accidit olim  
Cyre tibi; & regi cui lyra sacra fuit.  
Ut taceam Augustum, Latias qui gessit habenas;  
Quàm se præclare gessit in arte togæ?  
Hi sæpè officio desunt; & multa remissè,  
Multa quoque intensa vi, sine lege, mouent.  
Interea manet ordo fori, & Deus arbiter astans  
Æqua dat in causis tempore iura suo.  
Sæpè malum subito venit usu, resque sinistro  
Gesta modo tristes est paritura vices:  
Tollitur ex animo requies, oculisque voluptas:  
Læua diu resident, læta repente volant:  
Non tamen AVGVSTVS subtraxit brachia clauo,  
Visque procellarum sub prece terga dedit.  
Non animum fregit sublimem iniuria mundi,  
Invidia ad cursus obijciente moram.  
Dum gerit in Lybico res limite Scipio magnas:  
Invidia hunc Lybico retrahit orbe domum.  
Hoc monstrum Alcides supremo fine domandum  
Omnibus edomitis, repperit esse sibi.

Inuidiam multi regnis fugere relictis;  
Semper opus, nunquam est gratia, rara quies.  
Tempus & in luxu triuere, labore soluti,  
Muneris & curam deposuere sui.  
Arma Neoclydes qui Persica pressit in armis,  
Imperij fracta mente reliquit onus.  
Pertæsusque operum Lucullus in otia celsit,  
Inque rosa, & viola duxit inerte diem.  
Cultor haræ Gryllus colit inter stercora vitam,  
Humano ex habitu versus in ora Suis.  
Impurumque statum vitæ præponit honestæ,  
Quam curæ excipiunt, & sine labe labor.  
Vita quidem facta est varia in dulcedine rerum,  
Rebus & utendum est, ut iubet ordo Dei:  
Sed furor est animo ex rebus pendere caducis;  
Pax animi à solo sola trahenda Deo est.  
Parua voluptatis, sed magna est tela doloris;  
Non solida in luxu est, nec diuturna quies.  
E R G O memor decorisque sui, populi que salutis  
Delitias certum norat habere modum,  
Nec res officij defugit amore quietis;  
Paruit in iussa conditione DEO.  
Ocia nec coluit nisi raro, & luce sacrata,  
Detinuit sensus cum pia cura suos.

Semper

Semper de varijs rationem rebus inibat,  
Nutantem imperij fulciat unde statum.  
Huic datus è cœlo custos, clauumque gubernans  
Ad varios flatus prouidus ultor erat.  
Vimque procellarum celeri virtute repressit,  
Ne cladem acciperet publica forma fori.  
Quòd si consilium fortuna elusit honestum:  
Non tamen abiicit spemque, metumque Dei.  
Falluntur, quicumque Deo obsistente laborant,  
Et cursum fati se retinere putant.  
Brutus, amans patriæ: partesque secutus easdem  
Cui debet, quicquid lingua Latina potest:  
His itidem caussa coniuncti, dictus ab hirco,  
Pansaque, rem prisca vult reuocare status.  
Sed non est hominis labor aurea condere secla;  
Hei mihi, quàm multos somnia vana tenent.  
Tecta nisi condant Deus: & vi muniat urbem:  
Nil opera, aut sumtus, excubiæue valent.  
PLURA suo poterat splendori adiungere regna:  
Et summi imperij flectere frena manu:  
Non aberant nervi, vis æris, copia, virtus,  
Artes, consilium, res, populi que fauor:  
Sed natura suo se fine astricta tenebat,  
Nec res quærebat læua cupido nouas.

B 3

Voluere

Voluere res præter sortem, & sine lege, periclo est;  
O felix, qui vult esse, quod esse potest.  
Nactus erat regni partes Antonius amplas,  
Quas poterat iusto sustinuisse modo.  
Dum summum imperium vagus appetit ardor habendi:  
Summa sibi accersit fata, premente Deo,  
Obtinet Augustus palmam, & manet arbiter Orbis;  
Nec vis mortalis vertere fata potest.  
Nam Deus euentum arcana ratione gubernat,  
Qui facit in regnis hanc, aliamque vicem,  
Pegasus ad magnos sefforem euexit honores:  
Et primo laudem res bene gesta tulit:  
Post, animum tollens Iouis uti vocibus ardet:  
Sed decussus equo, corpore planxit humum,  
At, licet offensa non prorsus liber ab omni,  
Ex magna Iosaphat parte salubris erat.  
Non aliquid præter causam, & sua iura mouebat;  
Nam pius est, & vult quod pia fata volunt,  
Contra plenus Achas motu, vacuuque quiete  
Curriculum infelix seditiosus habet,  
Ausa sibi fretus sine iure ac numine tentat,  
Et caret in Christum respiciente fide,  
Qui requiem in regnis turbare licentius audent:  
Amisissis regnis facta cruenta luunt.

Antè



Antè oculos Saulem pone; aut Euryſthea durum,  
Quos grauis excepit vindice pœna Deo.  
Incidit in cladem Lyſander: acerbaque Brutus  
Fata; nec euentus Ageſilæus habet.  
Plectitur & ſumtis ſine cauſa Antonius armis:  
Ac alij, qui res ambitione mouent,  
Infelix iuuenem Pellæum caſus ademit,  
Vnus cui tumido non ſatis Orbis erat.  
Elatoque animo de vita expellit amicos,  
Seque Dei proprio mandat honore coli.  
HÆC exempla monent, ne ſpreta lege regentes  
Res extrà ſortem per vaga vota gerant,  
Imbecille genus ſumus, & durabile nil eſt;  
Auxilium eſt contrà fata, timere Deum.  
NON ex pulueribus qui ludunt Sole ſereno  
Confluxit mundi forma venuſta noui.  
Eſt Deus, & curat virtutem, & crimina punit;  
Mercedem, & pœnas aſpice; certus eris.  
Officium facere, atque euentus ferre neceſſe eſt,  
Nec res inuito ſollicitare Deo.  
Non venit ex noſtra ratione ſalutis origo;  
Nam felix regnum eſt omne, regente Deo.  
HÆC quia res notas AVGVSTVS noſter habebat:  
Noluit alta nimis, ſed moderata ſequi.

Agnouit

Agnouit, tenues quàm sint sine numine vires,  
Et nihil in nobis esse, negante Deo.  
Nil igitur præter leges, sortemque gerebat  
Vincula quod placidæ solueret alma togæ.  
Est opus ut socio vita hæc seruetur ab usu;  
Hucque operam debet quisque referre suam.  
Omnis enim alternis pendet de viribus ordo,  
In quo sint artes, officijque vices.  
Qui sapit, ille cauet socium ne dissipet agmen,  
Et grege distracto reddat inane forum.  
Sed rerum immodicè cupidus, sibi consulit uni,  
Publica vel cladem resque, salusque trahat.  
Sic gregis, & legis rationem A V G V S T V S habebat;  
Rem sociam vitæ, & religionis amans.  
Qui cum consilijs ac nervis præditus esset:  
Omnis in hunc oculos rettulit ordo suos.  
Naturæ variæ dotes, atque insita virtus  
Usibus humanis seruijt, atque Deo.  
Nam Deus hos motus vi Verbi accendit in ipso,  
Ut gestus essent, ceu decus esse iubet.  
Imperium gessit sine vi; genibusque minores  
Reppulit à genibus nulla repulsa suis.  
Non apud hunc eguit precibus bona causa; malamque;  
Autor ut obtineat, nil potuere preces.

Occurrit

Occurrit miseris nondum quoque voce rogatus;  
Et fraude oppressam, iure reduxit opem.  
Nam qui prostratos premit, impellitque labantes:  
Non hominis præstat, sed simulacra lupi.  
Asperitas, semper peccat, sed gratia raro;  
Hic ius est, ubi, ius qui moderetur, erit.  
Quique dabant operam pro iure, vel artibus ipsi:  
Hos precij exortis fecit honore frui.  
Vel lare, vel censu, vel opimi iugere fundi;  
Attalicas tanquam dextra teneret opes.  
Præbuit & monitis utranque fidelibus aurem,  
Impetus anteiret ne rationis opus.  
In lare privato placidis est moribus usus;  
Pro luxuq; aliqua triuit in arte diem.  
Artes naturæ, & morum præcepta bonorum,  
Resque patrum, volvit lumine, mente, manu.  
Naturæque habitu, propè supra humana leuato,  
Extitit officij cultor, amansque Dei.  
Sed tamen accessit doctrina fidelis: & usu  
Naturæ imposita est summa frequente manus.  
Cuius & ubertas vel in hac se parte retexit,  
Annua quòd studijs condidit æra bonis.  
Ut quasi subiecta casum trabe fulciat horum,  
Quæ regni neruum duxerat esse sui.

C

Turca

Turca ferox Asiæ populatus, & Hellados urbes,  
Doctrinis stragem Marte furente dedit.  
Suntque minæ in promptu similes instare ruinas,  
Et timet externum Teutonibus orajugum.  
Decrescit pietas, morumque licentia crescit:  
Et fit festa dies nil nisi vesca quies:  
Flaccescunt ludi, nec fit delectus in illis,  
Gratiaque, & iuncti sanguine pondus habent.  
Quique viam tradunt doctrinæ ad fila Philippi:  
His è suggesto fulmina missa cadunt.  
Pontificum genus est nostro intolerabile seculo,  
Quod procerum imposito sub pede colla premat.  
Quando rudem ætatem sua disciplina fefellit:  
Publica res habiles deliget unde viros?  
Interea vulgus fit ab omni parte profanum,  
Et nihil, aut falsum de pietate tenet:  
Sunt quos in veri studio, ac virtute tenaces  
Tempus in ærumnas, non sua culpa dedit.  
Ut tanto ex numero vix unus restet & alter  
Desertas pietas suppleat unde vices.  
Quo minus & Christo censore diutius orbis,  
Nec labor, aut requies nostra, carere potest.  
SED Deus hac sedes doctrinæ servat in ora,  
Ceu maris in scopulis Halcyo tecta struit.

Neue

Neue bonæ extremis succumbant casibus artes:  
Et tenebræ antiquæ pectora capta premant:  
Leucoris urbs una est, Philyræque est altera sedes,  
Inque his doctrinæ traditur omne genus,  
Non ut in arte fori saltem, aut ratione diserta,  
Sed cultu superûm præstet alumna cohors.  
Non ulla est melior, quàm recta scientia Christi;  
Hæc superat mortem, cætera morte cadunt,  
Utque dat Halcyoni felicia tempora partus,  
Et stata pax ventis est, pelagoque fides:  
Sic placidos fulgere dies hoc sospite fuit,  
Et curam imperij est vilis habere Deus.  
Distractos animos procerum ad pia vincla reduxit,  
Ne lituus motos ferret in arma viros.  
Moribus his verè dedit ætas aurea formam;  
Hæcque accepta Deo dona referre, pium est.  
Sed tamen A V G V S T O sua debita gratia restat;  
Huius enim studijs annuit ista Deus.  
Tempora sic tribuit Iosaphato plena quietis,  
Et qui Serpentem contudit ære satum,  
Nunc apud hos reges consortia gaudia carpit,  
Inter & hos reges pars generosa nitet.  
Quæ laus est potior, quàm si vel præstet Achillem,  
Et cui mens victo non erat orbe minor.

C 2 Nanq;

Nanque Deo acceptum statuit se munere Christi,  
Vindice quo rursus gratia parata Dei est.  
Mors sua placavit Patris iram, & praestitit ultro  
More rei nostro nomine Legis opus.  
Quique fide nati à summo Patre iustus habetur:  
Is fidei educit pignora certa suæ.  
Sed nos languor habet, rabiesque inferna fatigat;  
Illa premit varijs nostraque, nosque modis.  
Ergo fidem præferre faces ad facta necesse est,  
Qua scis te Christi morte placere Deo.  
Hinc tibi dat Flatum, non ut sit muneris exors,  
Intus sed sensus, & foris acta regat.  
Extera quin melius se disciplina mouebit,  
Interiori Flatu corda iuuante sarco.  
Scipio sic differt casta à virtute Iosephi;  
Finis, fama Dei: dux erat Aura Dei.  
Quare iustitiæ formam melioris habebat,  
Quam vel Aristides, Cecropiusue senex.  
Hi non elicitos habuere in moribus actus:  
Membra sub imperio sed rationis habent.  
Gestus in officio est, nec recti à fine recedit:  
Insita lux, norma est qua foris acta regunt.  
Non ignominia lædunt hominesue, Deumue;  
Cor tamen in dubio est an sit, & ista probet.

Multus

Multus in his residens natura scrupulus angit,  
Nec vitij fomes, caussaque nota mali est.  
Corda nisi viuens VERBUM regat : extera virtus  
Est folium fici quo scelus abdit Adam.  
ARSIT in hoc autem per verbum inflexa voluntas  
Flaminis officio perficiente sacri.  
Aque fide in Christum sua clara exorsa fluebant;  
Fama Dei, utilitas publica : meta fuit.  
Prima Dei ratio cor mouit, & altera regni;  
Curaque priuatas ultima fouit opes.  
Iure forum rexit, sed vitam lege pudoris :  
Præstitit in socio iura, fidemque thoro.  
Hasque Deus larga virtutes sorte rependit;  
Curriculi placidi munere : fine bono.  
Sunt duo, quæ turbant summo plerosque sub actu :  
Aut morbi dolor, aut morte premente metus.  
Qui peccare timet dum mors nondum astat: eandem  
Non timet, ut curua falce stat ante caput.  
Et qui cum vita nouit finem esse dolorum :  
Hunc nulla à solito deijcit ira gradu.  
Quid mundi labor est ad sensus ætheris illos ?  
Temporis est meror : gaudia fine carent.  
Quæ laus Augusto tribuenda est iurè, quòd omni  
Fatalem nutu censuit ire diem.

C. 3 Nil

Nil igitur nisi quòd voluerunt fata peractum est,  
Et quod non actum fata per ipsa velit.  
Vt me gratari potius, quàm flere deceret,  
Inuidisse sibi ne bona parta ferar,  
Si nos respicimus, velut orbos patre; dolendum est;  
Sin ipsum: læta voce sequendus erit,  
Cœlesti regnum terrestre, quiete laborem,  
Mortis onus, vitæ vertit honore nouæ.  
Sortis id humanæ est, non semper viuere; sed sic  
Viuere, ne mors sit pœna futura; Dei est.  
Vt si quem numerus virtutum à morte leuaret;  
Aut nunquam aut serò debuit ille mori,  
VNA sed ad casus sententia sufficit omnes;  
Lapsus Adæ ad mortem causa vel una sat est.  
Hoc ex fonte malum fluit omne, & quicquid acer,  
bi est;

Ærugo ut chalybem: sic vorat ossa lues,  
Nil agitur nostro cum Marte; potentia mortis  
Omne quod humanæ est destruit artis opus,  
Auxilium morbi Sophiæ quid quæris in hortis?  
In Christi latere est inuenienda Salus.  
VITA fugax, & res fragiles, nos munera cæli  
Quæ sunt firma, sequi mente, fideq; monent.  
Tracta fuit culpæ & pænæ contagio per omnes;  
Omnes ergo iugo mors premit atra suo.

Ergo



Ergo fide inuoluit, se quinque in vulnera Christi;  
Nam Christi sanguis diluit Anguis opus.

Quod vitæ cursum virtutis in orbe peregit:

Et quod in ore preces, pectore Christus erat:

Mors placida in somni morem surrepsit ocellis,

Dum vitæ flatum deflua gutta premit,

Passus idem est, Christi qui condidit acta Ioannes;

Omnis neruorum vis stupefacta fuit.

Qui fugit ad Christum, quem mors fugat: ille re-  
ceptum

Quinque in vulneribus non moriturus habet.

Fugit ad hunc moriens A V G V S T V S, & insitus ipsi

Non furiam, aut Legis fulmina dira timet.

In Christo recipit plus, quam quod perdidit ex se;

Qui, miser ut fuerat, desijt esse miser.

Busto semper erunt flores, rosa, carmina, laudes;

Officiumq; pium pro pietate damus.

Qui quod legaret moriens, nil maius habebat,

Quam genus, & neruos, effigiemq; suam.

Nam cum iusta darent A V G V S T O fata quietem:

Transijt in Natum res, speciesq; patris.

In quo virtutis cursus cursum antecit æui;

Quodq; graue est, pietas, efficit esse leue.

Regis aut pietas, patruiq; est robur in ipso;

Et pectus regni limite maius habet.

Omnia

Omnia tunc florent in turribus, urbibus, agris,  
Si fas, & pietas prædita flore suo est.  
S E D vario studij genere hæc seruantur, & usu,  
Absterfoque situ lumen ab arte petunt,  
Illas ut serues pie Dux: das artibus umbram,  
Nec te Mularum fers ab amore trahi.  
Æuo disiliunt marmorque, & signa Corinthi;  
Litera res gestas tempus ad omne refert.  
Spem, quam vel nomé quod habes, effecit: eandem  
Non modò confirmas, sed cumulare studes.  
Et patrijs meritis aliquid nouus adijcis autor,  
Te vinci à priscis ut tibi turpe putes.  
Nec te læua Midæ moueat censura, vel auris,  
Cui vox agrestis, non pia Mula placet.  
Alfonfus, proterum decus Artes esse, neganti  
Non hominis vocem, sed bouis esse refert.  
Quid rudis est præses, nisi stratum mutice signum?  
Intus enim cassum est pectore, voce foris.  
Sic tibi fata diu dent uti luminis aura,  
Ut sit præsidio res sacra fulta tuo.  
Quam q; potes fer opem, doctrinaq; assere florem,  
Seminaq; in lolij pura repone locum.  
Vnde caput tollat meliori fruge iuuentus,  
Quàm cui rubigo sparsit ad ossa luem.

Nempe

Nempe picem Illyricam, virusque immane Iacobi,  
Vndique quod Christi depopulatur agros,  
A glande ad segetes, à felle ad mella Philippi  
Vertat, & à salebris ad loca plana, pedem.  
Nam Deus, & tempus te talia munera poscit,  
O pater, ô patriæ lux, columenque tuæ.  
Pertinet ad proceres doctrinæ cura tuendæ;  
Sic vero afficitur verus honore Deus.  
Nosse Dei voces, & easdem à sorde tueri,  
Et regere his vitæ munia, quenque decet.  
Pro quo, mercedem tibi mens quæ talia cernit  
Reddet, quæ dignam reddere sola potest.  
Ipse, nisi has in te virtutes carmine ferrem,  
Non similis possim, nec memor esse mei,  
Perge; nec in cursu te dira calumnia turbet;  
Ex domino hæc seruum te cupit esse sibi,  
Ne dent iura tibi qui ius & sacra perosi  
Dant operam, ut carpant commoda, remque tuam.  
Quod facis, integram serua super omnia mentem;  
Errat, qui sequitur quod rude vulgus amat.  
A vi Pontificis soluit nos causa Philippi;  
Sub vim Pontificis ne retrahere, caue.  
Huius enim est neruus signorum cultus inanis,  
Quem fidei à norma vox aliena parit.

D Ergo

†

Ergo Dei cultor preme falsi semina cultus;  
Quod fit, si fidei regula verba regit.  
Idquoniam præstant artes: sis artibus æquis,  
Quod tua te pietas, me reticente, rogar.  
Te Deus, & sanguis solio patris extulit, ut qui  
Natura es princeps sis bonitate Deus.  
Munus habes ergo, quo debes; robur, & artem  
Qua potes; ô tantùm per pia fata velis.  
Sed quia vis, quod fata volunt: id perficis omni  
Consilio, obiectis ut medeâre malis.  
Vis florere Dei cultum sine lite docentùm,  
In quibus affectus vim rationis habet.  
Est tua, sitq; precor, moderatio fortior armis;  
Nec, nisi quod ratio suadet honesta facis.  
Discessuq; patris pia gens te nititur uno,  
Ac oculos in te semper, & ora refert.  
Cuius in officio pax temporis, almaq; Virgo,  
Postq; Deum, populi vertitur alma salus.  
Perfice si quod opus præuentus morte reliquit,  
Rebus & afflictis consule, more patris.  
Fata reseruârunt tibi curam, ut sydere verso  
Expulsis Cuculis sit Philomela tenax.  
Synceros discerne sonos à voce luporum;  
Pastores veros duc in ouile Dei.

Pro

Pro quo, vota Deo damus, ut det Nestoris annos,  
Ac illustre ferat tempus in omne genus.

Plura cupis? pacem saluam; quid plura rogemus,  
Te saluo, est nobis salua vel ipsa Salus.

O Deus, imperij tege corpus, & omnia membra,  
Vnus quæ sociat spiritus, vna fides.

Vox breuis est, fateor; sed vis prolixa; solentque  
In paruis precibus magna subesse bona.

SOLVIMVS officium cineri: sed soluere grates  
Diuinis meritis illius: omne Dei est.

Si quid omisit homo, supplebit gratia Christi;  
Quem coluisse, pium; nosse salubre fuit.

Nec virtus aliud, nisi Christi spectat honorem,  
Hic operum & vitæ finis: origo boni est.

O AUGVSTE, nouum cœlo decus addite, salue;  
Augusti veteris nuper, imago, vale.

Ornabas Auguste tuis virtutibus Orbem,  
Nunc ornat cœli se domus ore tuo.

Salue quem terras celebris fert fama per omnes;  
Quem cœlo pietas intulit alma, vale.

Omne tuus florebit honos Auguste per æuum,  
Stabit & ad tumbam carmen, & herba tuam.

Semper grata tuum decorabit mentio nomen;  
Immò, virtutum nomina mille feret.

D 2

Quid

Quid querar in mortem? Augustus de morte trium-  
phat;

Fama, dedit currum; læta trophæa, Fides,  
Non Augustus humo clausus latet: astra petiuit;  
Vel cinerem Augusti, vel tenet urna nihil.  
T E cœlis igitur iubeo saluere receptum,  
Quâ cum non morbus, morsue sit ulla: vales.  
Plura nec his addam; quid possumus addere diuo:  
Quæ tamen est æquum carmina ferre, tuli.  
Nec vult plura, suæ nisi quòd virtutis imago  
In vobis potius, quàm sit in ore meo.  
Sic inter viuos vobis labor utilis ibit;  
Ipsi inter manes stabit honesta quies.

D I X I,



RECTOR ACADEMIÆ  
VVITEBERGENSIS, FRANCISCVS  
FABER FREIBERGENSIS, ARTIS  
Medicæ Doctor, & Professor Publicus,

**D**eriodum quingentorum annorum aut circiter, Ecclesie, imperijs atq; regnis in genere humano precipuis, fatales semper attulisse mutationes & insignes conuersiones, sepe numero etiam euersiones, ex obseruatione temporum & omnium gentium historijs constat. Cumq; certissimum sit, non quidem ex obscuris quibusdam coniecturis, sed ex veritate & certitudine predictionum Propheticarum, Christi & Apostolorum, atatem nostram in postremum fatalis periodi articulum incidisse, tristissimas & inexpectatas mutationes, confusiones, calamitates omnis generis & pœnas, quarum initia terribilia, partim iam ob oculos versantur & sentiuntur, partim maiore atrocitate imminere videntur, cum deploranda omniũ rerũ bonarũ ruina et interitu, sequutur esse nihil omnino dubitemus. Sed cum utrumq; prædixerit filius Dei, & futuras esse sub finẽ mundi maiores tristissimarũ confusionũ & sauisimarũ persecutionum calamitates, quã vnquã antea fuerunt, & tamen inter has horribiles generis humani concussiones, & imperiorum collisiones, mansurã aliquã Ecclesiam, tamen si valde pusillam, squalidam laceram, deformem, & tyrannide & sophistica duriter pressam & iactatam, nos in tam tristibus mundi spectaculis, variarumq; miseriarum concursu, animis non deficiamus: sed fiducia presentie & auxiliũ Filij Dei, vnici redemptoris & liberatoris nostri, & certissimis promissionibus diuinis, de pœnarum mitigatione & finali liberatione, aduersus tristia scandala & disidia nos erigamus ac præmuniamus, ac eundem filium Dei ardentibus animorum motibus & gemitibus precemur, vt ipse senescentem Ecclesiam & languidam, sicuti promisit, gestet & clementer eam in tantis

ingentium malorū fluctibus & procellis protegat, sicuti olim Noah  
cum familia in vniuersali eluione sine causis secundis mirabiliter  
seruauit. Vt autem Ecclesia aliqua colligi, et literarū studia aliāq; pa-  
cis ornamenta & praesidia, ne ubiq; impia & barbarica vastitas fiat,  
coli possint, necesse est Ecclesiam alicubi habere mediocre hospitium, &  
qualemcunq; tranquillam sedem, ut p̄ cœtus coire, Deus rectē in-  
uocari & coli, vnaq; cum puritate cœlestis veritatis, doctrinarum  
studia exerceri & propagari queant, Eiusmodi hospitium & domicili-  
um pietatis verorumq; Dei cultum & studiorum doctrina, prae-  
buit cœtui electorum & fidelium, & docentium ac discipulorum agmini, in-  
de ab initio exorientis & illucescentis denuò orbi nostra aetate, im-  
mensa Dei bonitate fulgoris Euangelici, illustrissima & omnium he-  
roicarum virtutum atque ornamentorum domi militiæq; amplitu-  
dine, & laude cumulatissima domus Electorum & Ducum Saxoniae,  
quae singulari Dei prouidentia & consilio ad hoc electa & destinata  
fuit, ut euentus declarauit, ut filio Dei & Angelis pacis portam a-  
periret, per quam rex gloriae, cum thesauris sapientiae & aeternorum  
bonorū, & cum agmine trepidis & anxijis conscientijs Euangelizan-  
tium perpetuum & optatam pacem, introiret, & aeternam sibi here-  
ditatem, non quidem vi & armis, sed voce doctrinae & ministerio  
verbi ac Sacramentorum, frustra inferorum portis aduersantibus,  
colligeret, à qua in hac vita & in omni aeternitate celebraretur. Inter  
alios autē laudatissimos principes Electores, Saxoniae Duces eximia  
pietate, heroica virtute, sapientia, iustitia, animiq; celsitudine pra-  
stantes, qui studio & ardore ornandae gloriae Dei, & amore tuen-  
dae propagandaeq; veritatis doctrinae diuinitus patefactae mundi odia  
in se concitare, & sua omnia in discrimen adducere non dubitarunt:  
optimo quoq; iure numerāndus est, Dux Saxoniae Elector AVGVSTVS,  
nunquā satis celebrandae memoriae, cuius sancta anima in sinu & com-  
plexu filij Dei, perfusa cœlestis vitae & letitiae inenarrabili luce, &  
gloria, iam quiescit. Etenim Excelsitati ipsius illustrissimae, toto gu-  
bernationis tempore nihil magis in votis fuit, nihilq; antiquius &  
prius, quàm ut non modò acceptum à maioribus auitum paternumq;  
pietatis



pictatis decus virtutisq; præstantiam, & conseruanda propagandeq;  
religionis (quam æternam Dei veritatem esse, certò sibi persuasum ha-  
bebat) constantiam tueretur: verum etiam Ecclesias & Scholas am-  
plissimarum ditionum suarum, maximis & prorsus regis munificen-  
tiæ accessionibus cumularet & augetet. Cumq; sapientissimus prin-  
ceps intelligeret neq; religionem, neq; disciplinam aliaque compluri-  
ma & pulcherrima pacis studia, & præsidia conseruari posse, publico  
statu bellicis tumultibus & seditionum turbis labefactato & con-  
cusso, accurato studio, assidua vigilantia, maximisq; impensis, ea, qua  
pollebat plurimum ad omnes ordines autoritate, hoc persiciebat, ut  
Respubl. esset quieta, & quam minimum in Germania bellorum esset,  
& gliscentiũ turbationũ motus maturrimè opprimerentur, ut ita &  
Ecclesiæ harum regionum in tranquillo manerent statu, neq; commu-  
nis patria motibus non necessarijs concuteretur. Verè igitur nostra  
ætate Augustissimus fuit princeps n; eiſewomib; ac proinde Christo iu-  
dicè, uaxæe, cuius progenies ac posteritas promissionem habet  
etiam in hac vita, diurna & stabilis possessionis patriæ terræ. Hac  
maxima bona, quibus nulla meliora optatioraq; in hac mortali vita  
à Deo, pijs & assiduis votis, peti & expectari possunt, cum perpetu-  
am ad omnem posteritatis memoriam prædicationem promereantur  
æquissimum est, ut subinde voce & scriptis repetantur ac celebren-  
tur, ut protantis beneficijs Deo agantur gratiæ, & pietas & gratitu-  
tudo optimis ac salutaribus Magistratibus à nobis præstetur, & mul-  
ti in sublimi potentie gradu collocati ad consimilem, non quidem ad-  
umbratam imaginem gloriæ, sed ad eminentem atq; expressam pie-  
tatis atq; virtutis effigiem, beneq; de Repub. merendi studium exsti-  
mulentur. Est autem illustrissimi ducis Saxonie Electoris AVGV-  
STI, Domini nostri quondã clementissimi tam præclara & ampla me-  
rita in Ecclesiam & Rempubl constant, ut ea nulla vnquam deletura  
sit ætas, ut tamen præstantissimi patris generosissimus filius, illustri-  
simus Saxonie dux & sacri Romani imperij creandorum Cæs. Se-  
premier CHRISTIANVS, Dominus & nutricius noster beni-  
gnissimus, pietatem suam ugi euſogias erga clementissimum & opti-  
mum

16  
29  
16  
16

num Dominū patrem cum publico tum privato nomine testatorem  
& euidentiorem faceret, mandatū in hac Academia promulgari ius-  
sit, ut quotannis ad III Idibus Februarij, quo die ante annos IIII a-  
cerbissimo suo, & omnium bonorum lætu ac desiderio in cælestis Ec-  
clesiæ & patriæ consuetudinem præstantissimus heros pater AVGV-  
STVS translatus est, memoria Excelsitatis ipsius iusta exsequiarum  
in publico & solenni ordinis nostri conuentu persoluerentur & qui-  
dem oratione numeris astricta à Vate, nostro æuo, veterum laudi pro-  
ximo IOHANNE MAIORE S. Theologia Doctore collega olim no-  
stro honorando. Cuius quanta sit in canendis Dei & heroum laudibus  
facultas, in oratione vbertas & nervositas, in numeris suauitas, in  
sententijs grauitas, in amplificando maiestas, nemo est literatorum,  
qui ignoret. Qui quidē hoc nomine Musis suis vnice gratulatur. re-  
periri adhuc viros heroicos, virtutis & gloriæ cupidos & famæ pe-  
rennis appetentes, quorum res gesta & illustria facta verissimæq;  
laudes ad sequuturam ætatem literarum monumentis transmitti  
possint. Conqueruntur apud Siculam poëtam Charites, ante bis mille  
fermè annos, tantū in plerisq; Magnatibus famæ esse cōtempnionē et  
gloriæ neglectum, ut nulla amplius, cura de immortalis nominis me-  
moria afficiantur: *ἔγδ' ἔτ' ἀνδρῶν ἔτ' ἔργων ὡς παρ' ἑορταῖς*

*ἁνειδῶν ἀπ' ἄδων ἢ: νεκλιωτῶν δ' ὑπὸ κερδέων.*

Cum tamen, ut idem ait, *ἐκ μοισῶν ἀγαθὸν κλέϊσ' ἔρχεται ἀδράπεισι.*  
Et Cicerone teste, nullius agricola cultu stirps tam diuturna, quā poë-  
tarū versibus seminari potest. Cum igitur iam denuo & quidē quar-  
tum *ἁοιδῶν λῶς*, *ὄρφεος* κἀλλιον υμνήσῃ *μέλ*, & memoria illu-  
strissimi Electoris AVGVSTI, ducis Saxonie, &c. parentare iussus  
sit: scholasticos hortamur, ut ad recitationē carminis haud dubiè p̄j,  
eruditi, tersi ac numerosi, Gratiarūq; manibus abluti, frequētes vn-  
decimo Februarij, hora I X in auditorio noui Collegij conueniant, &  
in eo congressu pia & ardentia nobiscum vota ad Deū faciant, ut in  
hac vltima mundi senectæ Ecclesiā suam, & in hac illustriss. ducē Sax.  
Elect. CHRISTIANVM &c. Dom. nostrū clementiss. potenti dextra  
suā protegat & defendat, Ipsiusq; celsit. salutarem & tranquillam gu-  
bernationem clementer tribuat. P.P. Anno Christi 1590.

II

ULB Halle 3  
004 953 754



SB







Vc  
2978

(2)

ntatio  
R I S S I M O  
T I S S I M O  
C D O M I N O,  
s t o, E l e c t o,  
n i a & c.

um facta

T I O N E A T Q;  
V S T R I S S I M I A C  
is ac Domini, Ducis  
N I, Electoris,  
I I, & c.

ante subiectissimam

M A I O R E D.

B E R G A E,  
*Cratoniana,*  
M. D. X C.

Inches  
Centimetres  
1 2 3 4 5 6 7 8  
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
B.I.G.  
Farbkarte #13

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black